



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia  
à S.P.N. Francisco institutus**

**Pauck, Engelbert**

**Coloniae, 1720**

Num. 99. Clemens VII. Motu proprio omnia & singula Privilegia,  
Immunitates, exemptiones, etiam non solvendi Clericis 4tam funeralium,  
præter alia Indulta, & Indulgentias unquam extensa ad 3. Ordines ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

Ordinum S. Francisci concessit in Brevi: *Charissimi*, die 11mâ Junii. 1509.

XCVIII. **L**eo X. communicat omnia Privilegia, Indulta, & Indulgentias concessas, & concedendas Ecclesiis, Oratoriis, & Locis Fratrum Minorum, Monialibus S. Claræ, Tertiariis, Conversis, Oblatis, & Sæcularibus, illorum, & illarum Ecclesias, & Oratoria visitantibus; ex motu proprio, merâ liberalitate, & certâ scientiâ I. Bulla incipit: *Dudum per nos accepto*. Data Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris. 1519. Pontificatus sui Anno 7imo. Habetur in *Bullario Romano Laertii Cherubini præclarissimi Juris-Consulti fol. 442*. Probatumque hæc communicatio Indulgentiarum à CC. Lateranensi per Bullam incipientem: Sacro approbante Concilio.

XCIX. **C**lemens VII. in Bullâ: ad perpetuam rei memoriam incipente: *Dum fructus uberes*. Datâ Romæ, ad S. Petrum, sub annulo piscatoris. die 30. Maji Pontificatus sui anno 1525. quæ habetur in fine compendii Privileg. Collectoris Casarubii fol. 245. authenticè transumpta. *Motu proprio*, & ex certa scientiâ, omnia & singula Privilegia, Immunitates, Exemptiones, præsertim non solvendi Clericis sæcularibus quartam funetalium, quoad Fratres, in possessione non solvendi quartam hujusmodi existentes, ac omnia & singula Indulta, Indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias dicto FF. Minorum, ac S. Claræ, ac tertio de Pœnitentia nuncupato, Ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus, Sororibus, & utriusque sexûs Personis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & Locis quibuscunque etiam per modum communicationis; extensionis & aliâs quomodolibet, per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros; & Nos, & Sedem prædictam concessa, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium,

approbamus, & innovamus; ipsorumque Fratrum, Monialium, Sororum: Monasteria, Domos, Ecclesias, & Loca hujusmodi, omnibus, & singulis Privilegiis, Immunitatibus, Indultis, Indulgentiis, & gratiis quibuscunque quomodolibet concessis, ac concedendis, uti frui, & gaudere posse, & debere per omnia decernimus; ac si eis concessa specialiter fuissent. Non obstantibus quibuscunque)

C. **G**regorius XIII. Pontifex confirmat Privilegia, Indulta, Exemptiones, Indulgentias, Fratrum Minorum S. FRANCISCI de Observ. & Monialium S. Claræ, ac Tertii Ordinis de Pœnitentia. Bulla incipit: *Ex benigna Sedis Apostolica*. Et habetur in *Bullario Emanuelis Rodericii. Tom. 2. fol. 429. Bullâ primâ. Gregorii XIII.* Clausula concernens est hujus tenoris. Nonnulli Romani Pontifices, Prædecessores nostri, nonnullas Gratias, Concessiones, Indulgentias, peccatorum Remissiones, Absolutiones, etiam plenarias, Libertates, Prærogativas, Favores, Immunitates, Exemptiones, Declarationes, Facultates, ac omnia, & singula Privilegia, & Indulta, tam spiritualia, quam temporalia; etiam per solam Signaturam, aut per oracula vivæ vocis, tam pro foro conscientiæ, quam pro foro fori; tam prædictis FF. Min. quam S. Claræ; ac tertio de Pœnitentia nuncupato, Ordinibus; illorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus, & Sororibus, ac utriusque sexûs Personis, & Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & Locis quibuscunque dictorum Ordinum; nunc, & pro tempore existentibus, in genere, vel in specie, etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum, inter te, ac etiam cum aliis quibuscunque Ordinibus, Mendicantibus, & non Mendicantibus, concesserunt, aut jam concessa confirmârunt, & approbârunt; prout in singulis concessionibus, & literis eorundem Prædecessorum,

desu+